



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt laici iuxta altare non sedeant. cii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Vt corporale ex purissimo linteo sit, & vnius materiei.

Caput XLVIII.

Ex eodē,
cap. 3.

Corporale super quod sacra oblatio immolatur, ex mundissimo & purissimo linteo sit, nec in eo alterius generis materia preciosior aut vilior misceatur, & nunquam super altare remaneat, nisi in tempore missæ, sed aut in sacramentorum libro ponatur, aut cum calice & patena in mundissimo loco recondatur: vel quando abluatur à sacerdote, diacono vel subdiacono, primo in Ecclesia in loco & vase ad hoc præparato abluatur, eò quòd ex dominico corpore & sanguine infectum sit. Post hæc à lauandario, in nitido loco paretur.

*Vt sacrificium altaris non in serico panno aut tincto celebretur. Cap. XCIX.*Ex epist.
Eusebii
papæ,
cap. 51.

Hic inter cætera prædicta consultu omnium constitutum est, vt sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumeret, sed in puro linteo ab episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato, & que contexto, sicut corpus domini nostri Iesu Christi in syndone linea munda sepultum fuit.

*Vt mulieres ad altare non accedant, & officiis virorum se non intromittant. Caput C.*Ex cõcil.
Laodicēsi
cap. 43.

Quòd non oporteat mulieres ingredi ad altare, & contingere quæ virorum officiis deputata sunt.

*De eadem re. Cap. CI.*Ex decr.
Gelasi
papæ,
cap. 16.

Nihilominus impatienter audiuius, tantum diuinarum rerum subiisse despectum, vt fœminæ sacris altaribus ministrare firmentur, cunctaque non nisi virorum famulatui deputata sexui cui non competit exhibere.

Vt laici iuxta altare non sedeant.

Caput CII.

Ex cõcil.
Mogūti.
cap. 13.

Vt laici secus altare quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos, tam ad vigilias, quàm ad Missas stant, vel sedere penitus non præsumant, sed pars illa quæ cancellis ab altari diuiditur, tantum psallentibus pateat clericis. Adorandum verò & communicandum laicis & fœminis sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

De illis sacerdotibus qui in Ecclesia dum Evangelia leguntur, sedere præsumunt.

Caput CIII.